

suum ex Pentateucho, Josua & Judicum libro conscripisse; cuius rei testimonium habemus evidens in fine *elle haddebarim*, ubi hæc legimus. Et docebat Moses viam Domini & leges ejus: **הלא הם כתובים על ספר תורה: האלהים אשר נתן אל בני ישראל ביד משה:** *Nonne hæc scripta sunt in libro legis DEi, quam dedit Israelitis per Moſen.* Sic pariter in fine historiae Josuæ ab ipso Autore additur: Nomina urbium, quas occuparunt Israelitæ diebus Josuæ **הנם כתובים על ספר דברי יהושע אר בני ישראל ועל ספר מלחמות יי אשר כתב משה ויהושע ובני ישראל:** *Ecce illa scripta sunt in libro gestorum Josuæ apud Israelitas, & in libro bellorum Domini, quem scripsit Moſes, Josua, & Israelitæ.* 2) Scriptor libri existimat, librum bellorum Domini scriptum esse a Mose, Josua & Israelitis, quod nobis non videtur, & alibi data occasione evidenter demonstrari poterit. 3) Locum ex libro Recti, qui allegatur, 2. Sam. I, 18. in hoc libro frustra quæres. Hic enim liber historias tantum Pentateuchi, Josuæ & Judicum enarrat, & gesta Saulis atque Davidis plane intacta reliquit. 4) Liber hic nec ab ipso Autore *Liber Recti* appellatus est, sed verum ejus nomen exhibet titulus Autoris **זרה ספר תורת אדם** *hic est liber generationum Adami*, quo nomine ex ipsa primi editoris confessione vulgo est appellatus. 5) Talmudicæ fabulæ, quas enarrationi immiscet, & quarum specimen in verbis allegatis supra invenis, eum post Talmudis collectionem vixisse testantur. Solem enim 36. horas stetit, est R. Eliezeris traditio, in præcedenti Disputatione de statione solis p. 31. adducta 6) Nisi fallimur, stylus Autoris, qui satis hebræus, nec chaldaicis vocabulis est commixtus, ostendit, quod seculo demum XIII. a Christo nato a Judæo Hispano sit conscriptus; eo enim tempore Judæi puram hebream linguam in Hispania sectabantur, quam hodie rarius invenies. 7) Fabulosa sunt, nec ullam fidem merentur, quæ editor de fene in excidio Hierosolym. hujus libri custode, & de ejus in Hispaniam & Sevillam transportatione, impuden-

D

ter